

30 QK.313

v. Ponickau

Z d
3833

22
**RECTOR
ACADEMIÆ
LIPSIENSIS**

Ad

Exequias

ADOLESCENTIS

*GENTE AC MENTE GENEROSI & STRENUI,
LITERIS AC MORIBUS POLITISSIMI,*

Dn. JOHANNIS GEORGII

*à PONICKAU, in Pombfen / Nauenhoff /
Schönborn /c. in Academia Lips. ubi Studiorum
gratiâ commorabatur, fatis functi,*

VIRI

*REVERENDISSIMI, GENEROSI, MAGNI-
FICI & MAXIMÈ STRENUI,*

Dn. JOHANNIS GEORGII à PONICKAU,
*in Pombfen / Nauenhoff / Schönborn /c. Camerarii &
Consiliarii Elector. Sax. Præfecturæ Wurtzensis & Mü-
glensis Capitanei, Camera provincialis Ephori & Præfulatus in-
genii Misnensis Decani Splendidiss. b. record.*

Filii

Secundo-Geniti,

CIVES ACADEMICOS

post I. pomer.

invitat.



Literis CHRISTIANI MICHAELIS.

X 2056279

1664





Agnates, Imperatores, Reges, Duces, Comites, Nobiles suis imaginibus, quibus aut Familiarum ortum, aut conditionem suarum ditionum adumbrent, quibus etiam ab invicem dignoscantur, gaudere, tam notum est, quam quod notissimum. Cum aquila sit Rex avium, suoque volatu (quem præ reliquis avibus rectilineum observat) ipsas ferè nubes penetret, Romani, Duce Mario, jamdudum, adhuc ante CHRISTUM natum, aquilam in suis insignibus prætulerunt. Cur vero biceps aquila Imperii Romani facta fuerit insigne, duplex circumfertur ratio, vel quod Arminius, Germanorum Dux in pugna cum Quintilio Varo tempore Cæsaris Augusti duas Romanis aquilas abstulerit, vel quod Imperium Romanum ex duobus, orientali & occidentali, cõaluerit. De priori Cuspinianus Maximiliani I. Consiliarius: Tres Legiones, inquit, obtruncatæ tunc fuerunt, signa & aquilæ duæ à Germanis raptæ, quas hodie possidemus. Non enim biceps est aquila, sed duæ simul, quarum altera expansis alis obtegit alteram. Tertiam Signifer legionis tertie palude demersit, ne in hostium manus veniret, aliàs tres haberemus aquilas in Insignibus Imperii Romano Germanici. Nec unquam hæ redditæ sunt Romanis, quod Parthi fecerunt, sed semper in hunc usque diem servatæ. De posteriori Crantzius, à Turcis expugnatâ Constantinopoli, aquilæ Romanæ caput, quo in Orientem respiciebat, avulsum fuisse, non ineleganter scribit. Aliàs, cum Imperium Romanum nostris temporibus sit electivum, uni Familiæ non adstrictum, Imperatorum Insignia sic se habent, ut umbilico, vel cordi potius Aquilæ bicipitis Insignia Gentilitia, quibus in ditionibus suis hæreditariis utuntur, inferantur, prout commune Pontificibus omnibus est insigne, ut coronam triplicem duabus clavibus sese decussantibus superimminentem ostentent, intermedio spacio Insignia Gentilitia collocent. Gallie Regnum tribus Liliis (unde Liligerum vocatur) Clodovéo Regi cœlitus monstratis, quæ loco trium coronarum imaginibus intulit, superbit, quibus tamen primogenitus Regis duos Delphinas

κατα

κατὰ νότον ὀρνίθον opponit. Hispaniæ Regnum, cum longè lateq; sit
diffusum, plura etiam in suis insignibus plenioribus continet, utpote
ratione Legionis & Asturiæ duos Leones, ratione Castiliæ duo Castella, vel
duas turres, ratione Arragoniæ quatuor Saracenorū capita, ratione Bur-
gundiæ trabes aliquot transversim positas, ratione Siciliæ duas aquilas
simplices inter trabes decussatim oppositas alas pādētes, ratione Regni
Neopolitani coronam, ratione Lusitaniæ parmas aliquot in orbem col-
locatas, quæ junctim sumpta torque aureo cum aurei velleris annexa effi-
gie circumdantur. De singulorum incunabilis dicere non jucundum
duntaxat, sed & utile foret, cum ad recludendos Politicorum quo-
rundam dictorum, ut & Historicorum profundos sensus clavem no-
bis subministrare possent, nisi temporis & intimationis ratio digressi-
onibus ejusmodi nos prohiberet. Angliæ Regnum tres leones tri-
bus leonibus & tria lilia (propter Galliæ Regnum, ubi domicilium
ad tempus posuerant Angli) tribus liliis opposita; Scotiæ Regnum
citharam & Unicornu suis in Clypeis ostentant. In plenioribus
Anglicani rosæ quoq;, in albas & rubras, factionum Signa, quon-
dam divisæ conspiciuntur. Sveciæ Regnum tres coronas tribus co-
ronis & leonem leoni oppositum suis in Insignibus præ se fert, um-
bonem vel Sceptrum parvum, vel columna cum superimposita co-
rona occupat. Coronæ de Svecorum, Gothorum & Vandalorum
Regnis exponi quidem possent, sed, si controversiam super iisdem
motam & arbitrio Maximiliani I. commissam respicimus, de trin-
bio Coronarum Septentrionalium, Danicæ, Svecicæ & Norvvegi-
cæ intelligendas esse, persuademur. Svasit autem Maximilianus
pacis gratiâ Coronas istas tres retinendas interim, donec animi fir-
mius inter se conglutinentur. Daniæ Regnum, præter Insignia Sve-
cica, leones aliquot, & unum ex his anchoram tenentem forsan pro-
pter Hellepontum Danicum, Holsatiæ ratione fasciculum urticæ fo-
liorum spectandum in Imaginibus exhibet. Poloniæ Regnum duas
Aquilas simplices coronatas, & duos Marianos Equites cruciferos
Borussæ ratione, quam quondam tenuerunt equites isti, gerit op-
positos, Insignibus Svecicis spacium intermedium explentibus. Pan-
noniæ Regnum crucem duplicatam, sive pedum Patriarchale, mon-
ti tenet infixum. Bohemiæ Regnum leonem album coronatum cum
cauda bifurcata, quod à Friderico Barbarossa quondam accepit, In-

signe sibi præfigit. Electores seculares, quæ præferunt Imperatori
Signa, Bavarus hodie pomum cum infixa cruce, Saxo quasi Prætorio
Præfectus ensen evaginatam, Marchio Sceptum, Palatinus claves au-
reas suis in Imaginibus spectanda sistunt. Saxonix Duces non Electo-
res partem Serti rutacei, quam à Friderico Barbarossa Bernhardus
Dux Saxonix sincerioris affectus Symbolum primus accepit, trabibus
aureis & nigris superimpositam, ratione Thuringix leonem discolo-
rem, lineis albis & rubris interstinctum, ratione Misnia Flavum, rati-
one Lusatiæ bovem rubrum Elysiu, ratione Comitatus Henneber-
gici gallinam nigram in Insignibus suis ostentant. Ut autem Comites,
Barones & Nobiles etiam suis clypeis & monumentis gentilitiis gau-
dent: Ita in his ipsis Nobilissimorum à P O N I K A U, quorum causâ
campum hunc ingressi sumus, Familia splendidissima suis Imaginibus
vetustissimis, in quibus depicta conspicias lilia, fulget. Præterquam
quod lilia Dearum Principi à Gentilibus consecrata fuerint (unde Flos
Junonius appellantur) & visum coloribus & nares odore suavissimo
permulcent, quin etiam in Medicina suum usum non contemnendum
habent. Florem hunc gentilitium generosâ gente ac mente strenuus
Adolescens JOHANNES GEORGIUS à P O N I C K A U, in
Pombfen/Nauehoff/Schönborn &c. Juventutis lilium amœnissimum,
in hortis Musarum Lipsiensium hæcenus educatum referre nobis potest.
Non tantum enim corporis & animæ dotibus luculenter exornatus om-
nium oculos & animos in se convertit, sed etiam in decus Familix suæ
nobilissimæ annis crescens, & à Generosis Parentibus signatis vestigiis
graviter inhærens spem amplissimam, fore, ut Patriæ emolumento, no-
bilissimæ Genti ornamento, multis afflictis & miseris solatio maturior
annis evadat, de se concitavit. Verum, quæ liliorum est natura, cum
pridie paverunt adhuc oculos, perendie langvent & marcent: Ita Flos
hic Juventutis, cum paucis abhinc septimanis arrideret omnibus, à
Morbona infestatus langvet, quod quæ naturæ debebat, (heu maturè ni-
mis, cum annos majorennitatis non dum attigerit!) persolvit. Nos
damnum per crudam hanc mortem Familix Nobilissimæ ac publico da-
tum cordicitus dolentes quod supremum Beatissimo nostro à P O N I -
C K A U pietatis officium persolvere possumus recensendo splendidos
Ipsius natales, studia & vitam laudabiliter actam, & quod in iisdem
exemplo esse potest, aliis ob oculos ponendo, die hoc exequiarum
sumus

sumus præstituri. Fortes creari fortibus & bonis, nec è squillâ nasci
rosam, Reatissimus noster à PONICKAU, præter alios, & Ipse compro-
bavit. Parentem Divino munere nactus fuit Virum Reverendissimum,
Generosum, Magnificum & maximè Strenuum, Dn. JOHAN-
NEM GEORGIUM à PONICKAU, in Pombfen/Mauenhoff/
Schönborn/&c. Hæreditarium, Camerarium & Confiliarium Electro-
ralem Saxonicum, Præfecturæ Wurtzensis & Müglensis Capitaneum,
Cameræ provincialis Ephorum, & Præsulatus ingenui Misnensis De-
canum splendidissimum, de singulis, quorum pars fuit, Collegiis
longè meritisimum gratæ recordationis: Matrem veræ Nobilitatis
Ideam, sui sexûs & ordinis exemplar amussitatum SOPHIAM à
Spor, ex domo Rôhrsdorff & Medingen oriundam: Avum paternum
Virum Generosum & maximè Strenuum Dn. LOTHUM à PO-
NICKAU, in Ober- & Niederkreischau/ ut & Gemewitz Hæreditarium: A-
viam maternam nobilitate generis non minus, quàm virtute fulge-
scentem MARTHAM MARIAM à Stein/ ex domo Leusenitz ad
Orilam sita: Proavum paternum Generosum & maximè Strenuum
Dn. LOTHUM à PONICKAU, in Griebenstein: Proaviam pa-
ternam nobilitate piâ & pietate nobili conspicuam MARIAM à
Schleinitz/ è domo Schleinitz: Abavum paternum Generosum & ma-
ximè Strenuum Dn. JOHANNEM à PONICKAU, in Pombfen/
Mauenhoff/ Leuter & Ebersbach/ trium Sax. Electorum gloriosissimæ
recordationis JOHANNIS FRIDERICI, MAURITII &
AUGUSTI, Locumtenens, Cameræ PRÆFECTUS,
Præfecturarum Lipsiensis & Grimmensis Capitaneus: Abaviam pa-
ternam nobilitatis & virtutis decus egregium MARGARITAM
ab Holdin ex domo Kreischau & Gemewitz: Atavum paternum Gene-
rosum & maximè Strenuum Dn. JACOBUM à PONICKAU,
in Petersheyn hæreditarium: Ataviam paternam nobilissimo non
minus loco natam, quàm virtutibus insigniter condecoratam EVAM
à Carlowitz/ ex domo Hernsdorff: Ex linea materna ὁ ἐν εὐλογία no-
ster Avum habuit Generosum & maximè Strenuum Dn. CHRISTO-
PHORUM à SPDN/ in Rôhrsdorff & Medingen Hæreditarium: A-
viam maternam nobilitatis & virtutis nomen ANNAM MARI-
AM à Los/ è domo Tausch & Medingen satam & natam: Proavum
maternum Generosum & maximè Strenuum Dn. ERNESTUM à

Epur/ in Thorsdorff hereditarium: Proaviam maternam nobilitatis & virtutum speculum limpidissimum ANNA M ab Helwigsdorff/ è domo Großgrabe: Abavum maternum Generosum & maximè Strenuum Dn. ERNESTUM à Epur/ in Röhrsdorff/ Serenissimi Sax. Electoris AUGUSTI glor. record. in Præfectura Rochlitzienti Capitaneum. Abaviam maternam nobilissimâ virtute spectatam AGNETEM à Kreischau/ è domo Bertelsdorff: Abavum maternum Generosum & maximè Strenuum Dn. JOHANNEM à Epur/ in Röhrsdorff/ Equitem auratum: Ataviam maternam nobilissimo loco natam, virtutum agalma MARGARITAM à Grune/ è domo Possen. Ex tam nobili radice quis non succus laudabilis trahi posset? His itaq; Parentibus & majoribus nobilissimis, quorum plures adduci potuissent, nisi de antiquitate generis utriusq; longè lateq; constaret, Beatissimus noster à PONICKAU in Pombesen ad secundum hinc lapidem seculi currentis Anno 45. octavo Cal. Decembr. Sole culminante, in hanc lucem editus per primam Gratiae portam CHRISTO & Ecclesiae fuit insertus. Quò vero laudatissimorum suorum Parentum & majorum exemplo conformaretur, juxta pietatis studium bonis artibus & virtutibus genere suo dignis sub manductione Dn. CHRISTIANI RICHTERI ab anno ætatis quinto cum nobilissimo Fratre natu majore fuit imbutus, sub quo profecit ita, ut ex ungue, quod dicitur, leonem maturè cognoscere licuerit. Ingenii siquidem igniculos ita exeruit, ut non nisi magna minitarentur, & Patriæ bona quàmplurima promitterent. Quare ante biennium & quod excurrit Mense Julio cum Fratribus suis nobilissimis ephoriæ Dn. M. CHRISTOPHORI SCHWARTZBACHII conceditis in hanc Philyréam inclytam concessit, sub cujus informatione, ut & reliquorum Inspectorum, ultimi præsertim Dn. TOBIÆ MICHAELIS fundamentis in lingua latina, Politicis, Historicis, Chronologicis, Geographicis, disciplinis instrumentalibus, ut & Theologicis, quantum quidem Ipsius scopo conducere posse videbatur, domi jactis superstruxit, & jam Studium Juris amplissimum dexteritate singulari aggressus non parva in eodem spacia brevi fuit emensus. Postquam enim Institutiones Juris à capite ad calcem familiares sibi reddidisset, per hoc vestibulum sibi aditum ad adyta, Corpus nimirum ipsum Juris, munivit, in quo Titulos plerosq;

tam

sam sibi cognitos & perspectos habuit, ut de iisdem aptè differere, quæsitusq; respondere posset. Cum Studiis hisce Nobilium etiam exercitia in lingvis Exoticis, Mathematicis, arte saltandi, equitandi, digladiandi & aliis confibulavit. Ut reverentiâ, quâ pater erat, honoratissimis Parentibus suis nunquam non affurrexit: Ita super amore reciproco cum Fratribus & Sororibus nobilissimis contendit. Hospitæ suæ laudatissimæ viduæ HEINSBERGERIANÆ, quæ Testimonium commensalis moratissimi, gratisimi & omnibus acceptissimi *Ἰω̄ ἐν ἀγίοις* nobilissimo nostro à PONICKAU perhibet, respectum omnem exhibuit. Quin & erga quosvis, habitâ personarum ratione, talem se gessit, ut ab ipsis Dn. Professoribus in oculis gestus, à Commilitonibus, Nobilibus pariter & sub hoc Apollinis vexillo militantibus aliis, in delitiis habitus fuerit; Id quod etiam *συμπαθείας* suæ declaratione, cum ad monumentum Gentilitium efferendas exuvias, non sine solatio nobilissimæ Matris viduæ, super hac inopinata tam cari pignoris jactura non parum consternatæ, decenti comitatu prosequerentur, testatum fecerunt. Cætera, fœderis baptismalis memor pietatis Studium apprimè sibi curæ cordiq; esse sivit, lectioni sacrarum literarum temporis plurimum dedit, congregationibus sacris agglutinatus quotannis aliquoties fidem suam ambrosiâ Dominici corporis & nectare vivifici sanguinis refoecillavit, & quod in hac ætate, rerumq; statu mirandum, vanissimam mundi vanitatem detestatus *Ἰ ἀνώτερα καλλία* suspiravit. Desideria Ipsius beatissima mors & mortis anteambulones rata fecerunt, cum 10 mo. Cal. currentis Sextilis horrore Febrili, qui calorem intensiorem pedissequum habuit, correptus fuit, quæ tamen nubecula tunc citò transitura videbatur. Sequenti die Dominica super doloribus in dorso & ventriculo conquestus, quia publicum videre nolebat, homiliæ domesticâ lectione defectum istum supplevit. Consilio postmodum Medici Viri amplissimi & Experientissimi Dn. Doct. GODOFREDI WELSCHII, Prof. Pathol. in hac Acad. celeberrimi &c. usus fuit, qui nihil intermisit eorum, quibus *ὁ μακαρίτης* noster sanitati restitui posset. Feriâ secundâ istius Septimanz *καρδιαλγία* & *ἀνορεξία* secuta, seqq. Feriâ tertiâ variolarum signa in facie comparuerunt. Qua de re nobilissima Mater certior facta, posthabitis omnibus, huc Lipsiam ad agrotantem Filium sese contulit, nullis

Zd 3833 Qk
nullis curis, vigiliis, laboribus, sumptibus, mediis & remediis preciosissimis, quibus amissa sanitas recuperari posset, parcens. Verum cum fatalem instare terminum *ὁ ἐν ἐυφηνία* Nobilissimus à P O N I - C K A U sentiret, accersito Dn. Confessionario Maximè Reverendo Dn. Superintendente nostro, peccatorum suorum Confessionem edidit, & *ἐφ' ὁδῶ* Sacro ad beatam emigrationem se instrui curavit. In precibus etiam & piis suspiriis perrexit, donec vitæ ac necis arbiter, postquam carissimæ Matri valedixisset, cum amplexu & basi manuum pro beneficiis omnibus gratias egisset, & benedictionem Ecclesiasticam accepisset, annos duodeviginti, Menses octo personam suam in hoc Theatro mundano decenter actam, pr. Cal. Sept. intra quartam & quintam matutinam, merito Salvatoris involutum corporis ergastulo exolvit. Ita juventutis hoc lilium nobis quidem emarcuit, sed Paradisiacis hortis implantatum viget, æternumque vigebit. Exuvie S. S. Trinitatis habitaculum in monumento quidem gentilitio cum decenti comitatu, Christianis ceremoniis & à Dn. Pastore loci habita Concione Funebri fuerunt conditæ, sed propter habitationis locum, supremi honoris ergò & nos tam nobili corporis Academici membro exequias post auditam I. pom. ibimus, quibus ut nostri propter Familiam hanc Nobilissimam & Studiis faventis, & ad levandum morissimæ Matri, Fratribus ac Sororibus dolorem, frequentes intersint, his ipsis jubemus. P. P. III. Cal. Sept. Anno M. DC. LXIV.



W.D.M.

M.C.

30 QK-313.

v. Po

REC ACAD LIPSI

ADOL
GENTE AC MENTE
LITERIS AC MO

Dn. JOHAN

à PONICKAU, in
Schönborn / r. in Aca
gratiâ commor

REVERENDISSIM
FICI & MA

Dn. JOHANNIS G

in Pombfen / Nauenhoff
Consiliarii Elector. Sax. P

glensis Capitanei, Camerae pr
geni Misnensis Deca




Secun

CIVES A

post

Literis CHRIS



X 2056279



1664



KODAK Color Control Patches

Kodak

LICENSED PRODUCT
3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

